IN HIPPOCRATIS LIBRUM ΠΕΡΙ ΚΑΡΔΙΗΣ EXERCITATIONIS PRIMÆ PARTEM PRIMAM,

AUSPICE DEO,

PRÆSIDE

GEORGIO SEGERO,

Phil. & Med. Doct. Medico Regio,
Physico Gedanens. Ordin. & Medicinæ
ac Physices Prof. Publ.

Publicæ Placidæq; Censuræ,

IN ATHENÆI GEDANENSIS
Auditorio Maximo,

Ad diem 21. Aprilis clↄ Iↄc LXXIIX.

horis antemeridianis
subjicit

ZACHARIAS ZÖLLERUS,
THORUNIENSIS.

Imprimebat DAVID-FRIDERICUS RHETIUS.

INCLUTO

REGIÆ ATQUE FLORENTISSIMÆ
THORUNIENSIUM REIPUBLICÆ
MAGISTRATUI,

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,

BURGGRABIO REGIO,
PRÆSIDI,
PROCONSULIBUS
Et
CONSULIBUS,
PATRIBUS PATRIÆ
GRAVISSIMIS, MERITISSIMIS,
MUSARUM FAUTORIBUS GRATIOSISSIMIS,

DOMINIS ET PATRONIS

ÆVITERNUM COLENDIS,
VENERANDIS,

FELICITATEM
OMNIGENAM
P.

MAGNIFICI PROCERES, VENERANDI NO-
MINA COETUS
SANCTA, THORUNENSIS SIDERA CLARA
POLI,
Quemcunq; æthereas voluit natalis ad auras,
Exceptum veſtris mœnibus, ire dies;
Ingratæ mentis crimen patrâſſe videtur,
Si patrium nullo tollat honore ſolum:
Si nullis laudum titulis, nulliſque Camœnis,
Veſtra tot in Cives inclyta facta canat;
Si penitus nullos auſit perferre labores,
Qui Patriæ poſſint expediiſſe ſuæ.
Namque adamantæis natos ſibi nexibus omnes
Devincire ſuos patria rura ſolent.
His omnes meritò fas eſt impendere curas,
Horumque optatis invigilare bonis.
Juſſus divinos alium, ſacrataque Verba
Numinis æterni voce referre decet;
Defendunt alii, decus inviolabile mundi,
Juſtitiam, Legum quæ Fora ſancta facit:

Præſtan-

Præſtantes alii Phœbæis Artibus omne
Morborum cupiunt tollere triſte genus;
Mercurio impendunt alii ſua munera vitæ,
Atque alios aliud grandius urget opus.
Sed Vobis, PATRES PATRIÆ, Deus Urbis habenas,
Cunctaque præ reliquis nobiliora dedit.
Veſtros ante oculos ſtudium ponamus oportet,
Olim quod Patriæ conſuluiſſe queat.
Me quia Pieriæ Gedanenſem Helicona colentem,
Muſæ Pœoniis implicuere Choris:
Hæc Artis Vobis Medicæ primordia ſiſto,
Suſcipite hæc placida munera parva manu.

Veſtrarum
Magnificent. ac Generoſitat.

Devotiſſimus
Z. ZOELLER.

COROL-

B. C. D.

ANnus vertitur post decimum septimus, ex quo *Basileæ Dissertationem de legitimo Libri* περὶ Καρδίης *ortu* Medico exhibui orbi. Primarius tùm quidem instituti mei scopus is erat, ut presso saltem digito nobiles doctrinas, in illo Libello comprehensas, indicarem, atque monstrarem, esse eum veram ac genuinam *Hippocratis* sobolem, & idcircò tanti momenti, ut quis in doctrinâ Hippocraticâ exercitatus susceptâ illius Explicatione opimum publico exhibere posset laborem. Licet enim Acutissimus *Martianus* Annotationibus suis ingeniosissimis Libellum hunc egregiè illustraverit, quia tamen, illo ipso attestante, (a) *Hippocratis doctrina fons est indeficiens, quem exhaurire est impossibile, & ex quo factum est, ut nemini per tot secula occasio defecerit, proprium ingenium in ea exercendi, nec deficiet in posterum*; meritâ semper laude dignos censui illos, qui si non in toto fonte illo repurgando, in quibusdam tamen rivulis, ex eo promanantibus, extergendis, qualemcunque locant operam. Unde, cum Optimi illius Librorum Hippocraticorum Explanatoris *Theodori Zvingeri* Commentarius in eundem Libellum, quem *Martianus* (b) citat, aut, quod dolendum, perierit planè, aut, quod optandum, in schedis Zvingerianis adhuc latitet: id unicè semper in votis habui, ut hocce præsertim Seculo, perspicacium ingeniorum feracissimo, defectum Commentarii Zvingeriani quis compensaret. Inprimis quia & iste se etiam post *Martianum* optimo jure interpretationem dicti Libelli suscepisse, eadem exceptione tueri posset, quâ *Martianus* post *Zvingerum* usus est (c) in hunc modum: *Hunc pariter Librum dilucidavit* Zvingerus, *verum, quia multa obscura continet, non est mirum, si nonnulla ipse præterierit, circa quæ labores nostros impendere cogimur.* Cæterum, lubens equidem fateor, fuisse magni nominis quosdam Viros, qui post editionem supra memoratæ Dissertationis meæ, id à me requisiverunt, ut ego ipse hunc in me susciperem laborem. Accesit *Joh. Antonides van der Lin-*

Anno 1661.

(a) *in præfat. ad Lect.*

(b) *in præfat. annotat. in lib. de corde. p. 52. E.*

(c) *L. cit.*

 den,

den, Vir in Oraculorum Hippocraticorum explanatione optimè versatus, qui eandem Dissertationem, ceu Commentarium in dictum Libellum, Lectori suo (*d*) commendavit. At sicuti tùm onus hoc humeris meis impar esse fassus sum ultrò(*e*), ita & idem hucusque omni vitavi studio, quippe qui meo me metiri modulo jam olim didici. Ut tamen languidum aliorum palatum denuò stimulem, placuit sequentes consignare Exercitationes, in quibus nativam dicti Libelli obscuritatem ex parte discutere, pro virili tentavi. Si curiosis in hoc stadio magis versatis satisfeci, est quod mihi gratuler, sin minùs, sufficit me id tentasse, quod præter solum *Martianum* (de *Zvingero* enim res est dubia) nemo, & idcircò vel *in hâc quoque temeritate virtutem spectandam esse*; ut cum *Martiano* (*f*) loquar, quem amo. *Omnia* autem *propitio facturus sum Numine.*


(*d*) *de Scr. Med lib.* 2. *pag.* 650. *a.*
(*e*) *in Epist. Dedicat. citatæ meæ Dissert.*
(*f*) *in præfat. ad Lect.*

EXERCITATIO PRIMA
DE
CORDE.

CAPUT I.
de
FIGURA CORDIS.

I.

Resp. ZACHARIA ZÖLLERO, *Thorun.*


Xercitationi isti, inter eas, quas in *Hippocratis* Libellum περὶ καρδίης consignare constituimus, meritò primum tribuimus locum. Potissimam namque Divini Senis intentionem in conscribendo illo Libello hanc fuisse, ut nobilissimi

visceris

vifceris defcriptionem fuccinctam medicæ fuæ traderet familiæ, nulli dubitamus.

II. Hinc quæcunq; ad Cordis exactam delineationem, ratione Figuræ, Coloris, Membranarum, Subftantiæ, Situs, Partium diverfarum, & imprimis Auricularum, Ventriculorum ac Vaforum, Alimenti item, Motus & Ufus pertinent, adeò concinnâ propofuit brevitate, ut minimè vanum fit *Martiani* de libello noftro judicium, quod iftius eft commatis (*a*): *Præfens de Corde infcriptus liber, hujus vifceris ftructuram & actiones adeò exactè defcribit, ut quidquam addere fuper hanc materiam, pofteritati relictum minimè fuerit.*

(*a*) in præf. Annot. in huncLib. p. 52. C.

III. Aufpicaturus autem defcriptionem Cordis *Hippocrates*, primò omnium quæ *Figura* illius fit externa indicat. Nec fine caufa. Prius enim Cor claufum ac fanum demonftrant Anatomici, quam id refecant; ut fcil. naturalis figura Spectantium oculis debitè exhibeatur, quæ læfo læditur Corde.

IV. Accedit quod illo ævo, Arufpicinâ in Græciâ maximè florente, Cordis, qua figuram fuam, in victimis contemplatio, primarium fæpe fuerit facrificulorum officium, idq; non femper explorato prius jecinore, fed etiam fæpe Cordis infpectione ifti præmifsâ. Quod enim arufpices extifpicia fua eodem femper modo ac ordine non inftituerint, ex *Galeno* patet, qui (*b*) *Cor victimæ viventi in facrificiis exemtum, fæpe ad tempus aliquod pulfaffe*, imò ipfas *victimas interdum erepto corde, aris q; jam impofito, cùm refpirare & intentè clamare, tum verò etiam tantisper fugere, vifas effe,* tefta-

(*b*) Meth. med. Lib. 2. cap. 6. Cl. 7. F. 13. A.

(c) testatur. Quod fieri non potuisset, si neglecto corde jecinoris contemplationem semper præmisissent. Et hoc etiam indicare videtur *Cous* noster, *in Libro* quem scripsit *de victus ratione in morbis acutis* (d); ubi & Augures & Aruspices in vaticinando contrarias fovere sententias monet. Quam sane diversitatem eos etiam in inspectione extorum observasse, cur negemus?

V. Est verò juxta Optimum *Senem* (e) *Cor figura* ὁκοίη πυραμίς. *Velut pyramis* explicat *Janus Cornarius*. *Anutius Foësius* pro vocabulo pyramis *metæ* substituit nomen. *Fabius Calvus*, qui istos præcessit, sic vertit: *Cor figura metæ conove sive pyramidi simile est.* Nos dum *Cornarii* interpretationem eligimus, non tamen reliquos errasse dicimus. Est nimirum Cor figura velut pyramis, aut conus, aut etiam meta quædam. Neq; enim hic vox *pyramis* in eâ significatione sumitur, quâ â cono distinguunt accuratiores Geometræ, & inter hos ipse istorum Antesignanus *Euclides* (f): Sed denotat saltem eam figuram, qua corpus aliquod *à lato in acutum tendens*, *flammam ignis suâ figurâ refert*, ut quidem *Æmilius Portus apud Suidam* (g) appositè monet.

VI. Neque etiam hic litem movemus *Calvo* & *Foësio*, horumq; vestigiis insistenti *Jo. Veslingio* (h), quibus metæ similitudo arrisit. Tribuebatur olim vox *Meta*, referente *Onuphrio Panvinio* (i), illis terminis, qui singulis Spinæ, in Circi medio existentis, (quam etiam Euripum vocatam esse defendit (k) Illustr. *Salmasius*;) extremitatibus erant appositi. Quæ tamen

Metæ

(c) *de Hipp. & Plat. decr. lib. 2. cap. 4. Cl. 1 f. 236. H*

(d) *cap. 5. vers. 1 vid. quæ Gal. habet in hunc locum Comment. 1. art. 16. Cl. 7. f. 110.*

(e) *cap. 1. vers. 1.*

(f) *Element. lib. 11. def. 12. & 18.*

(g) *ad vocab.* πυραμίς.

(h) *Syntag. Anat. cap. 10. p. 122.*

(i) *de Ludis Circens. l. 1. cap. 14. p. 32. 33.*

(k) *Exerc. Plin. Part. 2. p. 912. fol. 2. D.*

Metæ non ſemper eandem referebant figuram. Ut plurimum quidem quælibet Meta unicam obtinebat baſin, cui ternæ impoſitæ erant ſummitates ſeu cuſpides. *Salmaſius* id in omnibus metis obſervatum fuiſſe monet (*l*), cauſamq; addit. Quod etiam *Homeri* teſtimonio *Jo. Argolus* in ſuis ad *Panvinium* Notis confirmat (*m*). Et hujusmodi metas tricuſpides exprimit *Panvinius* in plurimis figuris; qui globos ſingulis ſummitatibus impoſitos Ova vocat, non tamen conſentiente *Salmaſio* (*n*). Interdum ad quamlibet Spinæ extremitatem tres metæ coniformes, totidem fundamentis diſtinctæ, totidemq; ovis ſeu Sphæris decoratæ, ponebantur; quales in Hippodromo *Aureliani Imp.* & Circo *Neronis* oſtendit *Jacobus Laurus* (*o*). Nonnunquam cuilibet Spinæ extremitati appoſita erat Meta, habens ternas ſummitates, uni baſi impoſitas, oviſq; deſtitutas; quales in Tabula Ludorum Circenſium, Fulginii celebrari ſolitorum (*p*), proponit *Panvinius*. Quandoq; etiam meta figuram referebat unius ſaltem columnæ coniformis, quæ tamen itidem ovum ſeu Sphæram aut pilam, ut *Salmaſius* mavult, habebat impoſitam. Et hæc aut nullam fundebat aquam, quales *Laurus* (*q*) in Floræ Circo depingit: aut etiam affatim eam fundebat, meta ſudans ideó dicta; quales juxta Naumachiam *Neronis* & *Titi* Amphitheatrum dictus exhibet (*r*) *Laurus*. Sic igitur diverſas figuras obtinuiſſe Metas nulli dubitamus. Quia tamen illius Metæ tricuſpidis, quæ ovis caret, extremitates, cordis effigiem ſatis egregiè exprimunt; *Perottus* (*s*) inſuper *Metam terminum proprie ſignificare* monet, *quo agrorum menſores utebantur*; & (*t*) *Pyramidem à*

(*l*) L. cit. p. 910. col. 2. A. & p. 913. col. 1. A. B.
(*m*) p. 27. b.
(*n*) l. cit. p. 911. col. 1. E.
(*o*) Antiqv. Urbis Romæ, lib. 2. fol. 83. 84.
(*p*) eſt ea tabula inſerta pag. 41. & lit. L. ſignata.
(*q*) L. cit. f. 82.
(*r*) in Complemento Antiqvit. f. 87. & 90.
(*s*) Cornucop. col. 1020. lin. 55.
(*t*) L. cit. col. 4. lin. 17.

Latinis Metam vocari hanc ob causam putat, *quia termini agrorum, qui â metiendo, hoc est, mensurando Metæ vocantur, formâ pyramidum ædificari solent*: (quamvis similis figuræ termini apud *Hyginum* (u) non sint expressi:) eo respectu & Cor Metæ assimilari posse lubentes largimur.

(u) *Lib. de limitibus constituendis. Qui reperitur in Wilh. Göesii Opere de Re agraria pag. 212. seq. Vid. etiam, quæ in eodem Opere pag. 247. seq. de variis terminis è diversis Autoribus proponuntur.*

VII. Sic igitur juxta *Hippocratem* Cor pyramidis, aut ut *Democritus* (x) & *Galenus* (y) loqui amant, coni refert formam. Quæ Anatomicorum superioris seculi Latinorum Antesignanus *Andreas Vesalius* ita expressit (z): *Cor pyramidalis turbinatæve quodammodo figuræ visitur, qvum scil. ex latiore basi in mucronem sensim desinit, multoq; longius quam crassum spectantibus sese offert.* Loquitur autem de Corde humano, vel mortuo, vel, si vivit, dilatato, diastolemq; patiente. *Cono* namq; *â basi in perisystole recedente longiusculum reddi Cor*, penitus nobis persuasit Fidelissimus noster Præceptor *Thomas Bartholinus* (a), Anatomicus supra omnem Secantium invidiam olim jam positus, nunc verò optimo suo merito in supremo Tribunali Regio Assessor dignissimus.

(x) *in Lib. de natura hum. qui reperitur inter Epist. Hipp. pag. 1289. ed. Foes.*

(y) *Lib. 6. de usu part. cap. 7. Cl. 1. f. 149. H. 150. A*

(z) *de Corp. hum. fabr. Lib. 6. cap. 9. pag. 729.*

IIX. Sicuti autem Cor in diastole & dilatatione pyramidalem seu conicam refert figuram; ita contra *in* systole & *constrictione sphæricum* pene est, ut *Jo. Ant.*

(a) *Anat. Barth. Lib. 2. cap. 6. p. 378.*

(x) κωνοειδὴς δὲ καρδίη.

(y) λεπτὸν ὁμοιότατον κώνῳ. Et mox: κωνοειδής.

Ant. van der Linden recte monet (*b*), consentiente etiam (*c*) laudato jam *Bartholino*. Faciuntq; huc sequentia *Coi* verba (*d*): *Cor hominis rotundius constitutum, quam in omnibus Animantibus.* Aut, ut *Calvus* transtulit: *Cor in homine rotundius est, quam in cæteris animalibus. Cornarius* sic vertit: *Cor rotundius ac oblongius, quam in omnibus animalibus.* Quam interpretationem *Mercurialis* (*e*) approbavit, quia non emendavit. Ubi quidem τὸ *oblongius* de suo addidisse *Cornarium* putat *Foesius* (*f*), & post istum *Riolanus* (*g*), quandoquidem in græco codice vocula προμηκεστέρη non reperitur. Sed pace tantorum Virorum dixerim, *Cornarium* nil addidisse, nisi quod vox στρογγυλωτέρη requirit. Quia enim vox στρογγύλος non tantum significat id quod rotundum est aut conglobatum, sed & quod instar cylindri teretem refert figuram: (unde & *Galenus* (*h*) Specillum chirurgicum, quod non tantum rotundum sed & oblongum est, στρογγύλον μήλην ab *Hippocrate* vocari monet) optimè στρογγυλοτέρης vocem per oblongam rotunditatem expressit *Cornarius*. Et licet cylindracea figura cordi humano propter mucronem suum minimè tribui possit, quia tamen *Euclide* (*i*) consentiente, cylindri ratione axium & basium conis similes esse possunt, vel sic quidem *Cornarii* versionem veram esse palam fit. Nam *& coni basis circulus est*, ut *Aristoteles* (*k*) monet.

IX. Ne-

(*b*) *Med. physiol. L. 2. cap 6. §. 70. pag. 166.*
(*c*) *Anat. Barth. L. cit. p 377.*
(*d*) *de Corp. resect. cap. 1. v. 3. pag. 916.*
(*e*) *in sua Edit. Operum Hipp. Class. 4. p. 47. A.*
(*f*) *in notis ad hunc locum pag. 916. F.*
(*g*) *Anthr. Lib. 3. c. 12. p. 234.*
(*h*) *in Explanatione Linguarum Hipp. Extraord. f. 78. b.*
(*i*) *Elem. Lib. 11. def. 24.*

(*k*) *Probl. Sect. 3. prob. 9.*

(*d*) ἡ καρδίη στρογγυλοτέρη καθεστεῶσα πάντων ζώων.

IX. Neque verò etiam *Hippocrati* adeò contrarius est *Autor Libri de Anatomia vivorum, Galeno adscripti*, qui postquam docuit, quomodo Cor ex mucrone multiplicatis continuò crescentibus circulis (fibras intortas vocat apud *Bartholinum* (l) accuratissimus ille Anatomicus *Nicolaus Stenonius*) in basin usque assurgat, sequentia subjungit (m): *Et hic gradata est ipsius figura ad similitudinem pineæ.* Et paulo post (n): *Cordis figuram pineatam esse*, monet. *Cor* enim, ut verbis *Vesalii* (o) hæc exprimamus, *nuci pineæ utcunq; respondet, quum scil. ex latiori basi in mucronem (at paulo quam nucis pineæ acutiorem, ac sinistrorsum veluti detortum) sensim desinat.*

(l) Anat. Barth. Lib. 2. cap. 6. pag. 361.
(m) Spur. f. 47. C.
(n) fol. 53. F.
(o) de Corp. hum. fabr. L. cit.

X. Cæterum quæcunque hactenus ex *Hippocrate* & pro illo de Cordis figura prolata sunt, non dè Corde cujuscunque animalis, sed saltem de humano sunt sumenda. *Cor* enim *simile non habent ea, quæ Corde prædita sunt*, inquit *Aristoteles* (p). Unde vel ideò optimo jure illos reprehendit *Galenus* (q), qui neglectâ cordis humani sectione, cor bubulum saltem inciderunt, *quod tamen ab humanis plurimum discrepat.* Neque vero etiam accipienda sunt de Corde hominis, in quacunque ætate constituti, sed potius de Corde hominis, florentem aut consistentem ætatem ingressi. *Cor* enim hominis, ut *Galenus*, (r) monet; *ab initio ita parvum est, ut nihil â milii semine, aut, si majus,*

(p) de Part. Anim. Lib. 3. cap. 12.
(q) de Anat. adm. Lib. 2. cap. 3. Cl. 1. f. 69. E.
(r) de nat. facult. Lib. 2. cap. 3. Cl. 1. f. 297. G.

(q) ὡς ἐστὶν ἀνομοιότατον ταῖς ἀνθρώπων.

(r) τῇ καρδίᾳ οὕτω σμικρὰ ἐστὶ κατ' ἀρχὰς, ὡς κέγχρου μηδὲν διαφέρειν, ἢ εἰ βούλει κυάμου.

vis, fabâ distet. Jo. *Gallego de la Serna* (*f*) Coriandri substituit semen. Ea autem à veritate non ita esse aliena, facile patebit ex iis, quæ de Ovis humanis post *Harveum* (*t*) annotarunt Viri Curiosissimi, *Nicol. Stenonius*(*u*), *Joannes van Horne* (*x*), *Theodorus Kerckringius* (*y*), & qui istum additis insuper eruditis quibusdam animadversionibus secutus est Jo. *Baptista Denisius* (*z*), Jo. *Swammerdamus* (*a*), *Regnerus de Graef* (*b*), *Christianus Frid. Garmannus* (*c*), & qui hos omnes antecessit *Mich. Rupertus Beslerus* (*d*), quamvis non sine notabili *Swammerdami* (*e*) censurâ.

(*f*) *de princ. generat. Tract.* 1. *Lib.* 3. *cap.* 19. *p.* 144. *b.* (*t*) *Exerc.* 1. *p.* 2. *&* *Ex.* 62. *p.* 286. *seq.* *&* *Ex.* 63. *p.* 291. *seq.*

(*u*) *in Epist. de Anat.* Rajæ *p.* 67. *in hist. dissecti piscis ex canum genere p* 145. (*x*) *in Prodr. de partibus generat. in utroq; sexu.* (*y*) *in I bnogr. Anthrop.* (*z*) *en premiere, quatrieme & cinquieme memoire con ernans les Arts & les Sciences.* (*a*) *de uteri mul fabr. cap.* 1. *pag.* 15. *sequ.* (*b*) *de Mul org. generat. cap.* 12. *p.* 179. *seq.* (*c*) *Dissert. de Ovo hum.* §. 10 *seq.* (*d*) *in adm. fabr. hum. mul &c. Tab.* 1. *&* 3. (*e*) *L. cit. pag.* 20.

XI. Et ob eam, quæ Cordi à natura concessa est, figuram pyramidalem pars ejus superior, quæ latior est & rotundior, *Hippocrati* (*f*) κεφαλὴ; & inferior, ὄρραχος (*g*) vocatur. Latini illam Basin, Caput aut Radicem; istam Mucronem, Cuspidem, Verticem, Conum aut Apicem Cordis nominant. Ubi quidem quod ad illam denominationem, quam *Cous* basi dat, attinet, de ea non erimus adeò soliciti. Vocem namque κεφαλὴ, sicut & Latinam Caput, non saltem de illa parte corporis, quæ collo superimposita est, sed & de aliarum partium extremitatibus crassioribus ac rotundioribus dici, notissimum est. Unde &

(*f*) *Lib. de Corde c.* 5. *vers.* 6. (*g*) *L. cit. cap.* 4. *vers.* 3.

Galenus (h) testatur, quod jam olim *Cordis basin caput visceris nonnulli vocaverint.* Qui tamen ipse βάσεως potiùs appellationem retinere maluit. *Aristoteles* (i) eam τὸ κυρτὸν τῆς καρδίας vocat, quod *Gaza* reddit, *partem cordis ampliorem & gibbam*; *Scaliger* (k) substituit *curvam*. Aptius tamen vertit *Casp. Hoffmannus* (l) per *partem convexam, devexam, gibbosam.* Quid verò vocabulum ὄρραχος propriè denotet, aut quomodo emendandum sit, non ita conveniunt Auctores. Accentum in prima syllaba agnoscit *Editio Basiliensis Græca.* Eum ibidem quoque posuit *Mercurialis*, retinuitque *Foësius* in ipso textu. Mucronem interpretatus est *Calvus*, & post eum *Foësius*, Caudam *Cornarius.* Et sane sic explicandum esse illud vocabulum, è præcedentibus *Coi* verbis optimè colligere licet. Sed ὄρραχος, cum accentu in primâ Syllaba, non reperitur in Lexicis, etiam vetustioribus. Mendam igitur Librariorum subesse, unanimiter statuunt Interpretes. Ea verò quomodo probè emendanda? Sunt, qui accentum ad ultimam rejiciunt Syllabam, & pro τὸν ὄρραχον legunt ὀρραχὸν. Et hanc lectionem etiam admisit *Foësius* (m); quem secutus est *Lindenus in sua Editione Operum Hipp.* Eandem quoque in suis Codd. reperiri testatur *Casp. Hoffmannus.* Quam tamen rectè (n) rejicit, quia vox ὀρραχὸς, ἀπὸ τοῦ

(h) de Anat. adm. Lib. 7, cap. 3. Cl. 1. f. 94. E. Et de usu part. Lib. 6. c. 7. Cl. 1. f. 149. H.
(i) de Hist. anim. Lib. 1. cap. 17.
(k) in Com. ad hunc loc. t. 190. pag. 133.
(l) Inst. Med. Lib. 2. cap. 52. §. 2. pag. 118.
(m) in notis ad citatum Coi locum. pag. 323. num. 16. & in Oecon. Hipp. pag. 467. a.
(n) Inst. Med. L. cit.

(h) τὴν βάσιν τῆς καρδίας ἔνιοι κεφαλὴν ὀνομάζουσι τοῦ σπλάγχνου.

τοῦ τὸ οὖρον ἄγειν sic dicta, significat urinæ deductorem, seu illum ductum, quem etiam Latini Urachum vocant. Huic verò nullum omninò commercium est cum Corde. In abdomine namq; ab umbilico ad vesicam protenditur, vesicæq; urinariæ fundum peritonæo annectit. Quam difficultatem videns *Foësius* τὸ οὐράγιον *non male forte reponi posse* (o) suspicatur, *ut cordis summus mucro intelligatur*. Idque vel quia *Hesychius* τὸ οὐράγιον per τὸ ἔσχατον, quod extremitatem denotat, exponit: vel quia & *Cornarius* τὸ οὐράγιον expressisse videtur, cum cordis caudam dixit. Et hanc quidem vocabuli οὔραχος per τὸ οὐράγιον emendationem sequuntur quoque, *Andr. Laurentius* (p), *Casp. Bauhinus* (q) & *Jo. Ant. van der Linden* (r). Quamvis *Laurentius* etiam οὐρίαχον legendum esse conjiciat. *Est autem*, referente *Suidâ* (s), οὐρίαχος *summa vel posterior hastæ pars, quæ* σαυρωτὴρ *etiam vocatur*. Neque tamen & isti satisfaciunt *Casp. Hoffmanno*, utpote qui (t) pro τὸν οὔραχον non οὐραχὸν, nec οὐράγιον, multo minùs οὐρίαχον, sed οὐραγὸν, ἀπὸ τοῦ τὴν οὐρὰν ἄγειν sic dictum, legi debere censet. Cum sicuti ὁ οὐραγὸς

(o) *in notis & Oecon. L. cit.*
(p) *Hist. Anat. Lib. 9. cap. 10.*
(q) *Theatr Anat. Lib. 2. cap. 20. p. 217.*
(r) *Med. Phys. Lib. 2. cap. 6. art. 12. §. 65. p. 163. 4.*
(s) *Sub voc.* οὐρίαχος *&* σαυρωτῆρσι.
(t) *L. cit.*

(s) ἔστι δὲ οὐρίαχος τὸ ἄκρον τοῦ δόρατος, ἢ τὸ ὄπισθεν μέρος, ὃ καὶ σαυρωτὴρ καλεῖται.

ille eſt, qui in militia extremum claudit agmen, ita quoque & mucro ſit hujusmodi extrema pars cordis. Nobis verò, ſive οὐράγιον legatur, ſive οὐρίαχον, aut etiam οὐραγὸν, perinde erit, modo eo vocabulo mucro cordis indigitetur. *Ariſtoteli* (*u*) dicitur τὸ ὀξὺ & τὰ ὀξέα *pars acuta*, aut etiam (*x*) τὸ ἄκρον τῆς καρδίας *extremum ſeu ſummum cordis. Galenus* (*y*) κορυφὴν *verticem*, & (*z*) τὸ κάτω πέρας ἢ τὸν πυθμένα *oram inferiorem ac fundum* vocat.

(*u*) *de hiſt. Anim. Lib.* 1. *cap.* 17. (*x*) *de Part. Anim. Lib.* 3. *cap.* 4. (*y*) *de Anat. adm. Lib.* 7. *cap.* 3. *Cl.* 1. *f.* 94. *E. & cap.* 7. *f.* 95. *D. & cap.* 11. *f.* 96. *H.* (*z*) *de uſu part. Lib.* 6. *cap.* 7. *Cl.* 1. *f.* 150. *A. B.*

XII. Cur verò Cor humanum pyramidalem ſeu conicam obtinuerit figuram, quia *Hippocrates* non addidit, nos quoque non apponemus. Unde quæ de ſecuritate particularum Cor conſtituentium, iſtarumque in dignitate gradibus diverſis, & hinc emergente figurâ, *Galenus* (*a*) oſtendit: aut quæ *Auctor Libri de anatome vivorum* (*b*) ex minori læſione ſimilibusque diducit: aut quæ *Galenum* ſecutus *Th. Rod. à Veiga* (*c*) quadruplici medio exprimit: aut quæ ex radiis vitalibus *Robertus Flud*, *alràs de Fluctibus dictus*, (*d*) colligit; aliis examinanda relinquimus. Quibus etiam controverſiam, exinde inter *Meletium & Laurentium* (*e*), cujus quoque ſententiæ ſunt *Jacobus Carpus* (*f*) & *Attilius Bulgettus* (*g*), atque *Riolanum* (*h*) *Meletii* promachum ortam, decidendam committimus.

CA-

(*a*) *de uſu part. Lib.* 6. *cap.* 7. *Cl.* 1. *f.* 149 *H. &* 150. *A.* (*b*) *Spur. fol.* 47. *C. &* 53. *F.* (*c*) *Art. Med. cap.* 28. *pag.* 49. *b.* (*d*) *Hiſt. Microcoſm. Tract.* 1. *Sect.* 1 *Lib.* 8. *cap.* 8. *pag.* 176. (*e*) *L. cit.* (*f*) *in Iſagog. Anat. cap. de Corde fol. G.* 6. *b.* (*g*) *de Affect. Cordis Lib.* 1. *cap.* 2. *pag.* 4. (*h*) *Anthrop. L. cit.*

CAPUT II.
de
COLORE CORDIS.

I.

FIguræ subjungit *Hippocrates Colorem*, quippe qui circa illius demonstrationem in oculos spectantium ultrò incurrit.

II. Verba optimi Senis, (*a*) hæc sunt: χροιὴν δὲ καταχορὴς φοινικέα. *Calvus* sic vertit; *colore autem admodum rubro purpureove sivé phæniceo.* Cornarius; *colore autem abundè puniceo. Foesius* convenit cum *Cornario*, nisi quòd pro voculâ *abunde* substituat vocem *admodum.* Ubi quidem quod ad adverbium καταχορὴς attinet, sive illud cum *Calvo* & *Foesio* per *admodum*, sive cum *Cornario* per *abunde*, aut etiam cum *Lindeno* (*b*) per *saturatè* explicetur, perinde erit. Cur verò *Hesychius* (*c*) adjectivum καταχορὴς idem significare velit quod ὀχληρὸς, divinent alii.

(*a*) cap. 1. vers. 1.
(*b*) Med. Physiol. Lib. 2. cap. 6. §. 72. pag. 169. a.

III. Vox autem φοινικέα quomodo explicanda sit, non adeò planum. *Phæniceam* latinè dici posse extra dubium quidem est, sed sic non solvitur dubium. Acutissimus *Cardanus*, dum (*d*) colorum potissimas differentias recenset, nullam phœnicei mentionem facit. Subtilissimus *Scaliger*, dum (*e*) longam seriem colorum nectit, de phœniceo tamen adeò parcus est, ut de eo non nisi sequentia (*f*) propo-

(*c*) in Lexico suo.
(*d*) de Variet. rerum Lib. 13. pag. 890. sequ. & de subtil. Lib. 4. p. 314. seq. (*e*) de Subtil. Exerc. 325. sect. 6. & sequ. (*f*) L. cit. sect. 13. p. 998.

fuerit verba: *Nigra igni addito* φοινικοῦσθαι. Nos qui id unicè jam intendimus, ut colorem phœniceum vocabulo latino, ceu magis notiori, exprimamus, missis aliorum subtilitatibus, cum *Cornario* & *Foësio* phœniceum Græcorum colorem à Latinorum puniceo diversum non esse, asserimus. Rationem asserti suppeditat nobis Clarissimus *Jo. Ger. Vossius* (g), dum colorem, qui nunc puniceus nominatur, Veteribus, omissâ aspiratione, pœniceum dictum fuisse, unde mutato œ in u puniceum emergit, disertè monet. Neque tamen ideò censoriam illorum merebimur virgulam, qui ex Illustr. *Salmasii Exercit. Plinianis* (h) puniceum à phœniceo plane diversum esse ostendent. Ea enim quæ *Salmasius* de diversa origine τοῦ φοινικοῦ, quod Latinis puniceum dedit, affert, resolvi possunt ex *Galeno*, utpote, qui, ubi coloris phœnicei mentionem facit (i), *non tam à phœnice* seu palma *colorem phœniceum, quam ab isto* τὸν φόινικα *denominari* censet. Certo nobis argumento, quod color φοινικοῦς, quo prædita est palma aut ejus fructus, non differat ἀπὸ τοῦ φοινικοῦ, quod Latinis puniceum dedit, quodve phœniceus Græcorum color idem sit qui Latinorum puniceus. Cui ista non satisfaciunt, recordetur querelarum, quas Viri docti apud *Gellium* (k) de incertis colorum appellationibus instituunt;

(g) *in Tr. de Lit. permut. sub œ mutatur in u. Et in Etymol. lingv. Lat. sub voce phœniceus, pag. 389. a.*

(h) *pag. 1330. & seq.*

(i) *Comm. 2. in progn. Hipp. aph. 39. Cl. 4. f. 201. G.*

(k) *Noct. Att. Lib. 2. cap. 26. pag. 102.*

(i) οὐκ ἀπὸ τοῦ φόινικος ὠνομάσθαι τὸ φοινικοῦν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ φοινικοῦ τὸν φόινικα.

instituunt; cogitetve insuper, quod & hic locum habeat egregium illud *Cardani* (l) effatum: *velle nunc in tanta colorum confusione de illorum nominibus tractare juxta antiquorum sententiam, res est & difficillima & immensi negotii.*

IV. Sed, inquies, qualis tandem est ille color phœniceus seu puniceus? *Suidas* (m) τὸ φοινικοῦν dicit esse ἐρυθρὸν, πυῤῥὸν, i. e. *rubrum, rufum seu rutilum*. *Hesychius* (n) idem φοινικοῦν explicat per πυῤῥὸν, κόκκινον, αἱματῶδες, i. e. *rufum, coccineum, sanguineum.* Ubi eum per coccineum intelligere phœniceum exinde liquet, quia ipse (o) testatur, *quod ex cocco phœniceus hauriatur color.* Habet nimirum phœniceus color *exuperantiam ruboris*, ut cum *Frontone* apud *Gellium* (p) *Foësius* (q) loqui amat, & convenit cum colore sanguineo. Unde etiam *Suidas* (r) eundem tribuit sanguini, & corpus cruentatum phœniceum reddi dicit.

V. Quæ cuncta cum ita se habeant, (ne aureum illud *Galeni* monitum, quod supra citatis verbis non multo post subjungit, & quo nominibus eatenus tantum studendum esse monet, quatenus conferunt ad illustrationem eorum, de quibus agimus, negligamus) ante memorata *Coi* nostri verba sic interpretamur, ut perinde sit, seu cordi tribuas colorem puniceum, seu saturatè rubeum, seu sanguineum. Rationem hanc dat Lindenus (s): *Quia sanguinis concretio*

(l) de Subtil. Lib. 4. p. 314.
(m) sub voce φοινικοῦν. T. 2. pag. 1095.
(n) sub eadem voce
(o) sub voce κόκκος.
(p) Noct. Att. l. cit. p. 104.
(q) in Oecon. Hipp. sub voce φοινικίνος p. 663. b.
(r) sub voc. φοινίκιον χρῶμα & φοινικίδα T. 2. pag. 1094.
(s) L. cit.

(o) ἐκ τοῦ κόκκου τὸ φοινικοῦν βάπτεται χρῶμα.

tio solidior, quam alibi, est in corde: hêic etiam color, quam in aliis visceribus, est obscurior.

VI. Favet nobis & hic *Galenus*, qui *Cor eodem colore quo hepar præditum esse* expresse (t) docet; ita tamen, ut *hepar rubicundius esse* agnoscat. (ubi obiter monemus, quod in Veneta Juntarum Editione latina pro voce *colore* legatur *calore*, notabili errato typographico, ut è græco textu apparet.) Secutus est eum *Auctor Libri de Anat. vivorum* (u), qui itidem Cordi rubicundam tribuit carnem.

(t) *de decret. Hipp. & Pl. L. 6. cap. 8. Cl. 1. f. 266. C.*

(u) *Spur. f. 45. D. & f. 56. G.*

VII. Notandum autem & hic, quod cuncta ista intelligenda imprimis sint, de Corde humano perfecto ac sano, & præsertim de ventriculo ejus sinistro, utpote quem, ceu dextro crassiorem ac carnosiorem, magis quoque rubeum esse, nemo facile negaverit.

CAPUT III.
de
MEMBRANIS COR VESTIENTIBUS.

I.

M*Embranarum* seu ὑμένων nomine illas in corpore humano venire partes tenues, molles ac dilatabiles, quæ alia membra aliasque partes vestiunt, continent & tuentur, ipsis jam tonsoribus lippisque notum est.

II. Hæ

(t) μετέχει μὲν οὖν καὶ ἡ καρδία τοῦ τοιούτου χρώματος, ἀλλ' — ἧπαρ — ἐστὶ τὸ σπλάγχνον — ἐρυθρότερον.

II. Hæ ob tutamen, quod partibus, quibus concessæ sunt, præstant, etiam *Tunicæ* aut χιτῶνες ab Auctoribus nominari solent; utpote à quibus duo ista vocabula, *Membrana* & *Tunica*, sæpe indifferenter sumuntur. Quod imprimis ab *Antiquioribus* factum esse, eosque *Tunicas*, *Membranas ac Meninges in eadem significatione usurpasse*, testatur *Galenus* (a). Idque quam verissimè.

III. Quod enim ad *Hippocratem* attinet, eum voculas ὑμὴν, χιτὼν, μῆνιγξ, quibus & vocem δέρμα addimus, sine omni differentia adhibere, nemo, qui vel leviter Opera illius evolvit, negabit. Sic vesicæ membranam & ὑμένα nuncupat (b), & χιτῶνα (c), & δέρμα (d). Sic oculorum membranas modo χιτῶνας appellat (e), modo δέρματα (f). Et pericardium, quod in libello nostro (g) χιτῶνα nominat, alibi (h) ὑμένα vocat. Addent forsan alii & μήνιγγα (i), sed nobis non consentientibus, quandoquidem hæc vox membranam potius illam, quæ Cor proximè ambit, denotat, ut *paulo post* (k) ostendetur.

(a) de usu part. Lib. 4. cap. 9. Cl. 1. f. 137. H.

(b) de natura mul. c. 36. vers. 3. Op. Sect. 5. p. 579.

(c) de Carn. cap. 3. vers. 5. S. 3. p. 249.

(d) de nat. mul. L. cit.

(e) de Carn. cap. 18. vers. 8. 9. p. 253. (f) de Carn. cap. 18. vers. 3. 4. & 9. p. 253. Et de loc. in hom. cap. 5. vers. 13. S. 4. p. 408. (g) cap. 1. vers. 2. (h) de Off. nat. cap. 6. vers. 4 S. 3. pag. 274. (i) de Carn. cap. 6. vers. 1. S. 3. p. 250. (k) §. XIV.

(a) οἵγε παλαιοὶ, καὶ χιτῶνας, καὶ ὑμένας, καὶ μήνιγγάς γε, πρὸς τούτοις ἅπαντα τὰ τοιαῦτα καλοῦσιν.

IV. *Aristoteli* vocula ὑμὴν adeò familiaris est, ut ubi ex professo de corporis membranis agit (*l*), nullâ aliâ utatur voce. Liberior autem est illius Auditor pariter ac successor *Theophrastus Eresius*, qui dum de Plantarum Seminibus agit, pelliculas ista vestientes modo ὑμένος (*m*), modo χιτῶνος nomine (*n*) designat.

(l) de Hist. anim. Lib. 3. cap. 13. 14. & 15. Et de Part. anim. Lib. 13. c. 11.

(m) de Hist. Plant. Lib. 1. cap. 18. pag. 10. lin. 42. & pag. 11. lin. 17. edit. Basil. (*n*) *L. cit. c. 19. p. 11. lin. 45.*

V. *Galenus* itidem hisce duobus vocabulis, ὑμὴν καὶ χιτὼν, adeo frequenter de eadem membranâ utitur, ut fere superfluum putemus, exemplis id probare. Addemus tamen unum & alterum. Sic v. g. Cerebri membranas modo ad ὑμένας refert (*o*), modò ad χιτῶνας (*p*). Sic ὑμένες ei sunt, membranæ oculorum (*q*), cordis (*r*), hepatis (*s*), renum (*t*) &c. quæ eædem membranæ oculorum (*u*), cordis (*x*), hepatis (*y*), & renum (*z*) ei quoque sunt χιτῶνες. Sic etiam eodem sæpe in loco ambas has denominationes uni tribuit membranæ. Exempla sint; pericranium (*a*), periostium (*b*), membrana arteriæ asperæ (*c*), pericardium (*d*), plevra (*e*) & peritonæum (*f*). Imò quod majus est, postquam ut supra

(o) de anat. adm. lib. 7. cap. 2. (p) de temperam. lib. 2. c. 3. (q) de diff. morb. cap. 13. Et de comp. med. sec. loc. L. 4. cap. 7. & meth. med. lib. 2. c. 6. & introduct. cap. 15. (r) de anat. adm. l. cit. (s) de loc. aff. Lib. 2. cap. 4. (t) L. cit. (u) de usu part. lib. 8. cap. 6. & de comp. med. sec. loc. lib. 4. cap. 1. & 4. & meth. med. lib. 1, cap. 6. (x) de nat. fac. lib. 3. cap. 15. (y) de usu part. lib. 5. cap. 11. & Comment. 6. in Aph. Hipp. aph. 5. (z) Comm. in aph. Hipp. l. cit. (a) de comp. med. sec. loc. lib. 4. c. 2. (b) l. cit. (c) de comp. med. sec. loc. lib. 7. cap. 1. (d) de anat. adm. l. cit. (e) L. cit. (f) de anat. adm. lib. 6. cap. 7. Et lib. 7. c. 2. Et de usu part. lib. 4. cap. 9.

ſuprà (*g*) retulimus, Antiquos has voces indifferenter ſumſiſſe (*h*) monuit, ſe quoque eos ſecuturum expreſsè addit. Sed ſufficiant hi Græci. (*g*) §. 15. (*h*) *de uſu part. l. cit.*

VI. Adjungimus iſtis *Plinium*, idque ex occaſione quam nobis dedit Illuſtr. *Salmaſius*, qui poſtquam apud *Catonem* (*i*) non ſpicas ſed ſticas ulpici & allii legendum eſſe, ac per has *ſticas illas tunicas ſive membranas, quibus allium velatur in univerſum, tùm quibus ſeparatim nuclei ejus veſtiti ſunt ſinguli*, denotari egregiè pro more ſuo (*k*) diduxit, hæc paulo poſt (*l*) ſubjungit verba: *Plinius tunicas in frumento appellat Lib.* XVIII. *In Tilia tunicas & membranas. In allio membranas.* Et verè quidem, præſertim quod ad allium attinet. Nam & hoc in univerſum, & ſingulos iſtius nucleos ſeparatim, tenuiſſimis velari membranis, expreſſe (*m*) docet *Plinius*. Sic idem quoq; pelliculas frumentum tegentes Tunicas quidem appellat, loco à *Salmaſio* citato (*n*). Eundem tamen *Plinium* etiam frumentis attribuiſſe Membranas, vocesq; membrana & tunica ſine differentia uſurpaſſe, vel inde patet, quia & milium & panicum membranis contineri (*o*) aſſerit, quæ tamen duo frumentis æſtivis (*p*) annumerat ipſe. Quod verò ad tiliæ tunicas membranasve attinet, quandoquidem textus Pliniani, ad quem collimat *Salmaſius*, caliginem non diſcuſſit iſte, placet dicti textus verba hic referre, ſuntque iſtius tenoris (*r*): *Inter corticem ac lignum tenues tunicas multiplici membrana, è quibus vincula tiliæ vocantur.* Ubi quia *Dalechampius* pro *tunicas* legit *tunicæ*, nos *Plinii* mentem ita exprimimus: *Inter corticem ac lignum tunicæ è multiplici membranâ conflatæ reperiuntur, è quibus vincula conficiuntur, quæ &*

(*i*) *de re ruſt. c.* 70.
(*k*) *Exerc. Plin. Part.* 2. *p.* 1062. *col.* 1.
(*l*) *L. cit. col.* 2. *B.*
(*m*) *Hiſt. Nat. lib.* 19. *c.* 6. *Op. Tom.* 2. *p.* 566.
(*n*) *Lib.* 18. *cap.* 7. *p.* 427.
(*o*) *l. cit. p.* 424.
(*p*) *L. cit. p.* 422.
(*r*) *Hiſt. Nat. lib.* 16. *cap.* 14. *p.* 245.

ipsa tiliæ aut tiliacea vocantur. Cui hæc nostra explicatio displicet, aut aliam sibi excogitet, aut si libuerit admittat sequentem, quæ est *Jo. Bodæi à Stapel(s)*: *Inter corticem & lignum alia tenues sunt interiores cortices, & veluti membranæ, â quibus aliarum quoq; arborum cortices tiliæ quoq; vocantur.*

VII. Sicut autem ex hactenus dictis abunde satis constat, membranam & tunicam sæpe indifferenter sumi ab Auctoribus vetustioribus, ita idem quoq; â recentioribus fieri facile demonstrari posset, nisi vereremur, ne quis nobis occinat illud *M. Salvii Othonis* apud *Xiphilinum (t)*: Τί γὰρ ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν.

IIX. Verùm enim veró reperti tamen etiam semper sunt alii, qui inter membranam & tunicam quandam agnoverunt differentiam. Idque etiam ne invito quidem *Galeno*, quippe qui ipse, enumerando partium genesin, membranas â tunicis expressè distinguit (*u*). Et sanè non sine ratione. *Quia enim res diversæ sunt, diversa nomina licet imponere*, inquit incomparabilis *Casp. Hoffmannus in suis Post-curis (x)*, quarum apographum, ex ipso autographo exscriptum, inter rariora nostra MSta reservamus.

IX. Hæc igitur mens est *Galeni*, quod licet tunicæ & membranæ ratione substantiæ inter se non differant, tamen una atque eadē hujusmodi pars, pro diverso respectu, modò membrana, modò tunica sit nominanda (*y*), *membrana quidem ab essentiâ, tunica verò ab*

(s) in Com. Theophr. Hist. Plant. lib. 3. cap. 10, p. 181, b.

(t) in Ep. Dionis de Othone. p. 202. A.

(u) de temperam. lib. 2. cap. 2. Op. Cl. 1. f. 16. A. & de usu part. Lib. 15. cap. 1. Cl. 1. f. 214. H.

(x) Lib. 1. cap. 32.

(y) de anat. adm. Lib. 7. cap. 2. Cl. 1. f. 94. B. D.

(y) ὑμὴν μὲν ἀπὸ τῆς ὀυσίας, χιτὼν δ' ἀπὸ τῆς χρείας.

ro ab usu. Unde etiam membranas quasvis non admodum propriè tunicas nominari (z) contendit, quandoquidem *tunicæ vocabulo operimentum seu indumentum* saltem *tegumentumq; significatur.*

(z) de anat. adm. Lib. 6. c. 7. f. 92. C. & Lib. 7. cap. 2. f. 94. C.

X. Conferantur ea, quæ proponit laudatus *Hoffmannus*, qui (a) ὑμένας Membranas *illa dicit corpora tenuia, qualis est aranearum tela, mollia, densa tamen, exanguia & frigida, quæ ferè exterius partes ambiunt & involvunt: at* χιτῶνας Tunicas *corpora & ipsa, sed prioribus multo crassiora, & præterea carne manifestâ farta, quæque non ambiunt partes alias, sed ipsa partes constituunt.* Quam suam doctrinam *in Post-curis* (b) ita contraxit: ὑμένας *voco corpora illa tenuia, quæ partes omnes, præcipuè viscera, tam sangvinea, quam exsanguia, extus obvolvunt:* χιτῶνας, *viscera exsanguia sola; quo venæ quoq; pertinent & arteriæ.*

(a) Inst. Med. Lib. 2. cap. 12. §. 1. pag. 52.

(b) L. cit.

XI. Cæterùm cũ denuò liqueat, membranas & tunicas ab Auctoribus modò confundi modò distingui; (*confundi* nimirũ, dũ in latâ suâ significatione spectatæ, unum idemque denotant; *distingui* autẽ, dũ strictè atq; propriè consideratæ, res diversas indicant;) nos, missis aliorum opinionibus, illis accedimus, qui, non tam qua substantiam, quam qua usum inter membranas & tunicas quandam agnoscunt differentiam. Notanter dicimus; *non tam qua Substantiam.* Sic enim saltem differunt tanquam magis & minus crassæ & duræ, ita ut alia membrana crasior sit alia tenuior, &

(z) ἀμφίεσμα γὰρ καὶ περίβλημα δηλοῦται πρὸς τοῦ χιτῶνος ὀνόματος.

& rursum alia durior alia mollior. Et sic, si qua substantiam distinctio esset instituenda, tunicæ fœtum involventes meliori jure membranis essent annumerandæ, quam peritonæum, omentum, sclerotica oculorum &c. cùm illæ longè sint tenuiores istis. Notanter etiam subjungimus; *quam qua usum*. Sic enim strictè & propriè sumtæ Membranæ commodè distinguuntur, in Membranas in specie sic dictas & Tunicas. Quam distinctionem quia & nos *in Synopsi Physicâ antiquo-nova* (c) observavimus, adeat eam qui volet. Nos pergimus, & tandem, his ita præmissis, de Membranis Cor vestientibus quædam subnectimus.

(c) *Part. Spec. Sect. 12. cap. 3. membr. 2. Art. 12. p. 233. seqv.*

XII. Duas nimirum esse membranas, quæ Cor ambiunt atq; defendunt, est sane quàm apertum. Harum altera immediatè & adeò tenaciter Cordis investit carnem, ut difficulter ab eâ separari possit: altera Cor laxè saltem cingit, &, si omnia naturaliter se habeant, *tantum â Corde distat, quantum satis est pro motu cordis, & humore qui in eâ continetur*, ut loquitur (d) Magnus noster Doctor *Thomas Bartholinus*. Illa propriè loquendo membrana est, non tunica; hæc tunica, non membrana. Illa peculiarem non obtinuit denominationem; huic pericardii imposuerunt nomen. De illâ pauca adhuc subjungemus; hujus verò ac humoris in eâ contenti examini peculiarem, quæ hanc sequetur, Exercitationem tribuere constituimus.

(d) *Anat. Barth. lib. 2. c. 5. p. 349.*

XIII. Quod autem ad illam attinet, quandoquidem speciale nomen nondum acquisivit, *Innominatam* vocabimus. Posset forsan etiam *prima cordis membrana* vocari. Sic enim & Anatomici membranas medullæ spinalis, quibus peculiaria non sunt imposita nomina,

mina,

mina, numeris distinguere consueverunt. Aut si mavis, illam vocato *interiorem*, & pericardium exteriorem Cordis membranam. Hac namq; ratione & Prosectores membranas rerum distinguunt. Nos verò de nomine non amplius soliciti, quæ tandem in Libello nostro de velamento hocce mens sit Hippocratis, unicè inquiremus.

XIV. Ubi sanè candidè fatemur, nos quidem in eodem Libello innominatæ istius membranæ nulla reperire vestigia. Licet enim vocula ὑμὴν ibidem (e) aliquoties legatur, non tamen memoratam membranam, sed valvulas denotat, in ventriculis cordis latentes. Ut ita nullam ejus mentionem in dicto Libro fecisse Hippocratem asserere audeamus. Neq; tamen eam Optimo Seni plane incognitam fuisse censendum est. Si quis enim conjecturæ superest locus, certè *in Libro de Carnibus* innominatæ hujus membranæ mentionem fieri, haud vanè conjicimus. Locus hic est (f): *Cor multum glutinosi & frigidi obtinet, quod à calido calefactum, caro dura & viscida evasit, ipsumq; membrana involutum est.* Loquitur scil. in verbis allegatis de cordis genesi, unde dum illud è materiâ viscidâ ac frigidâ, à calore liquefactâ, formari docet, vel ideò membranam ei circumtensam esse indicat, ne à calore denuò liquefactum difflueret. Quod sanè officium cordi pericardium minimè præstat.

(e) *cap. 7, v. 3. bis. & cap. 8, v. 1, & c. 9. v. 2. 3. & 4.*

(f) *cap. 6, v. 1. Op. Sect. 3. p. 250.*

XV.

(f) ἡ δὲ καρδίη πουλὺ τοῦ κολλώδεος καὶ τοῦ ψυχροῦ ἔχει. καὶ ὑπὸ τοῦ θερμοῦ θερμαινόμενον, κρέας ἐγένετο σκληρὸν καὶ γλίσχρον. καὶ μήνιγξ περὶ αὐτήν.

XV. Hanc igitur innominatam membranam μήνιγγα vocat *Cous*, quia inſtar piæ Cerebri matris tenuis eſt ſeu ſubtilis, ſed ſimul ſpiſſa. Et de iſtâ intelligendus etiam eſt *Ariſtoteles*, inquiens (g): *Cor opertum eſt membranæ involucro pingui & corpulento.* Quæ *Scaliger* (h) ſic protulit: *Habet cor membranam pinguem craſſamq́.* Huic enim membranæ adnaſcitur adeps, idque utplurimum circa cordis ſaltem baſin. Et hic inſuper pro voce *craſſam* rectiùs ſubſtituitur *ſpiſſam.* Sic enim non tantum voculæ παχύν nulla vis infertur, quippe quæ & craſſum denotat & ſpiſſum ſeu denſum; ſed etiam contradictio, è tenuitate iſtius membranæ emergens, tollitur. Licet enim omne quod tenue non eſt, recte dicatur eſſe craſſum; non tamen omne quod tenue non eſt, rectè dicitur ſpiſſum; non enim omne, ſed ſaltem quoddam, quod tenue eſt, poteſt ſimul eſſe ſpiſſum. Sic ſpongia tenuis non eſt, neque tamen etiam ſpiſſa, ſed potius rara. Sic charta auguſta ſeu epiſtolaris tenuis eſt, & tamen etiam ſpiſſa. Sic ergò & *Philoſophus* membranam Cordis innominatam, quæ tenuis eſt, rectè dicit eſſe ſpiſſam, non verò craſſam.

(g) *de Hiſt. Anim. lib. 1. c. 17.*
(h) *in Com. in Ariſt. Hiſt. de Anim. lib. 1, cap. 20. text. 190. pag. 133.*

XVI. Utrum autem *Galenus* iſtius membranæ aliquam fecerit mentionem, non ita determinare audemus. Numerat quidem (i) inter membranas, quæ exactè ſunt tales, etiam τῆς καρδίας ἀμφίεσμα. Sed quia ei & tunicæ ἀμφιέσματα ſunt, ut ex loco illiùs ſupra (k) citato liquet, quodnam *cordis involucrum* ibi intelligat, curioſus divinet Lector.

(i) *de Anat. adm Lib. 7. cap. 2. Cl. 1. f. 94. C.*
(k) *§. 9. pag. 21.*

(g) ἡ καρδία ἔχει δ' ὑμένα πιμελώδη καὶ παχύν.

COROLLARIA
RESPONDENTIS.

I. Solum Cor est ſanguificationis verum Organum.
II. Non omne quod quantum eſt, diviſibile eſt naturaliter,
III. Color realis etiam ablato Lumine eſt actu Color.
IV. Bruta non ſunt ratione prædita.
V. Urachus in fœtû humano non eſt pervius.

A teneris, patrios inter, ZÖLLERE, Penates,
Unguiculis notum Te meus arſit amor.
Jam Tua tùm placuit pietas, placuêre politi
Mores ingenii dexteritasque Tui.
Nunc majora novo ſurgunt mihi gaudia plauſu,
Pulpita dum fauſto ſidere docta teris.
Perge bonis avibus, lætos ſolertia fructus
Sollicitusque dabit præmia digna Labor.

Ita Laudatisſimis, Politisſimi DN. Reſpondentis, Auditoris atq; Convictoris ſui ſeduli ac modeſti, in Philoſophia & Medicina progresſibus, animitus gratulatur.

PRÆSES.

MIranda terræ quæ bifidæ tegit
Moles, in antris didita ſcrupeis,
Luſtrare pulchrum eſt, & receſsûs
Omnigenæ penetrare matris.
At ampliori dignus adoreâ,
Qui dædalam geſtit propriæ domûs
Noviſſe compagem, intimamq;
Corporis addidiciſſe formam.
Id Tu ſecundis auſpiciis facis,
ZÖLLERE, *blandus quem Charitum lepor*
Commendat & ſuavis ſororum
Caſtalidum decorat venuſtas.
Pro CORDE, vero & principe ſanguinis
Auctore, *pugnas. Opto Favonios*
Dextros, & obtento tropæo
Frondis Apollineæ decorem!

Politisſimo Dn. Reſpondenti Amico integerrimo gratulab.

JOH. CHRISTOPH. ROSTEUSCHERUS.
Gedanenus.

Puni-

PUniceum *Cordis* duplici sub veste Colorem,
Corq; ipsum mediâ cui regione Thronus,
Optima grandævi relegens vestigia Coi,
ZÖLLERE, egregiâ dexteritate probas.
Discere Phœbéas sic pergas sedulus artes;
Ipse tibi Phœbus præmia digna dabit.

Amicissimo Dn Contubernali festinantissimo calamo deproperabat,
JOHANNES JACOBUS WEBERSKY,
Gedanensis.

WJe *Iason* seinen Muth in keiner Schlacht verlieret/
Vnd sparet keinen Fleiß/ wenn Er an *Colchos* Strand
Mit Drachen fechten muß/ biß Er in Griechen Land
Mit seinen Helden hat das güldne Fell geführet:
So hat der Tugend Glantz auch Dich/ Mein Freund/ gerühret/
Nur Sie ist deine Lust/ Sie leitet deinen Sinn/
Der nimmer ruhen kan/ biß zu den Sternen hin/
Wo Weißheit und Verstand gelehrte Männer zieret.
Wie wenn die Wellen sonst ans Vfer häuffig schlag'n
Vnd sich einander selbst mit schneller Hitze jag'n
In ungezälter Zahl. Fahr also fort im rennen/
Es schencket *Phœbus* dehm'/ der bey Ihm bleiben wil/
Der seinen Berg ersteig't/ und kommet an das Ziel/
Ein Lob/ das ewig wird die späte Nachwelt kennen.

Dieses wehnige hat dem Herren Antwortenden zu Ehren auffsetzen so wollen als sollen
ERNEST BEUMBERG/
Dantziger.

An den Hn. Respondenten,
Seinen werthgehaltenen Hertzens-Freund.

MAn mercket es/ wie Er in allen Sachen/
Vmb die Er sich bemüht/
Auff den gelehrten Nahmen sieht.
Denn/ weil Er sich voraus berühmt will machen
So opffert Er die Zeit/ und seinen Lebens-Lauff
Absonderlich den hohen Künsten auff:

Itzt

Jtzt macht Er unß außführlich kund /
Er hab' ein rechtes Hertze zum Studieren /
Vnd ob man Jhm auch scharff versetzt /
Sey Hertz vnnd Muth doch unverletzt.
Drumb / wird Er noch behertzter seyn /
Vnd sich vor keinem Gegner scheun /
So sagt gewißlich dieser treue Mund:
Apollo werd' Jhn bald mit grünen Lorber ziehren.

f.
CASPAR PIOCKE /
von Crossen auß Schlesien.

SUnt, qui Virtutis callem calcare recusant,
Et Sophiæ, dubitant, num gradiantur, iter.
Cùm Scopulis etenim ducens hûc semita multis
Plena sit, hinc paucis hæc via dura placet.
Hos autem meritò rellictos despicis omnes,
ZOELLERE, Aonii pars adamata chori.
Te pulchro ingressum sophiæ conamine campum,
Ulteriùs cursum hunc continuare juvat.
Nec retinere tuos isto de tramite gressûs
Dilecti pateris tristia Fata Patris.
Nuper enim monstrans Morum quod grata Venustas
Inprimis Iuvenem condecorare queat;
Nunc quoque, Pæoniam qui solers excolis Artem,
Ex Medicis, quæ de CORDE tenenda, doces.
Perge viæ constans, quæ cœpta, insistere: Lauru
Cœptum Pieriâ Meta coronat opus.

Ita Præstantiss: Dn. Respondenti Amico honoratiss: appl.
CONSTANTINUS BEREND, *Gedan.*

ERASMUS:

Eruditio & Virtus tutissimæ sunt Divitiæ, quæ nec eripi possunt, nec gravant circumferentem.

FElix, eximiâ qui vivit præditus Arte,
Cui per Apollineos Musa dat ire Choros:
Quem Virtus *extollit, habet quod præferat Auro,*
Hæc etenim cunctis anteferenda bonis.
Sæpius æris eget censû jam dives opimo,
Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat:

Ditescens

Ditescens variis Curarum fluctuat undis,
E Curis Curas cernit abire novas:
Aufert effractâ nummos Fur callidus Arcâ;
Eripit aut dextrâ Latro furente vagus;
Accidit, ut spargat funesti semina Martis
Hostis, & excidiis mœnia tuta petat;
Vel per summa furens laquearia sæviat ignis;
Agmina vel subitæ præcipitentur Aquæ.
Casibus his cunctis premitur formidine mentem
Dives. Opes igitur mille perîcla manent.
Talia non metuunt Sophiæ septemplicis Artes,
(Quantumvis Musis hæc malè secla velint!)
Talia nec metuit Divini pectoris Altrix,
Virtus, *obscuro nescia stare loco.*
Hæ sunt Divitiæ, *quas nec tibi callidus* aufert
Effractor, quas Mors nec truculenta rapit:
Hæ sunt, quæ pascunt Animos, non Corpora multo
Pondere debilitant, *quod facere Æra solent:*
Hæ tecum vivunt, hæ te comitantur ad Umbras.
Hasq; *reservabis Mortis iturus iter.*
TE quoq;, Pars Nostræ non interitura Medullæ,
Ingenuas Artes *excoluisse juvat;*
Egregiam Musis Virtutem *jungis amicis,*
Et sic è gemino Munere clarus eris.
Ito bonis Avibus: Medicæ sint fausta Cathedræ
Ausa, Tibiq; dehinc commoda multa vehant!

Ita Præstantiss. DN. RESPONDENTI, Conterraneo singulariter dilecto, Amico infucato, alterâ jam vice publicam scandenti Cathedram applaudere debuit
SAMUEL SCHOENWALD / Thorun.

S A C H A R I A S C O E L L E R, T.
Anagramma.
ALACER COLIS ARTES.

I*Ngenium ingenuas* ALACER, Philomuse, per ARTES
Tu COLIS: Id nobis hæc tua cœpta probant.
Perge *celer*, *Zœller*, studiis dare *tempora* perge!
Sic tandem lauru *tempora* cincta feres.

Paucissimis hucce Præstantissimo Dn. Resp. Amico æstimatissimo gratul.
HENRICUS FINKENO. Curland.